

PARAPHRASIS
PROPHETIÆ
Maleaci poëtica.



EDINBURGI,
Excudebat Andreas Hart,
Bibliopôla. Anno. 1611.





¶ *Paraphrasis Prophetiæ* MALEACI. Poëtica.

CAP. I.



Iccine cura mihi summo dilecta parenti
Progenies respõsa dares? præclara benigni
Ecce animi documenta tui, sors ferrea vitæ
Opprimit electã nullo discrimine gentem.
Non fuit Isacidis cõmunio sanguinis? uno
Quos geminos partu dederat lectissima fratres
Mater, in his privæ ceu sorti in secla minori
Signa dedi, sobolique mei manifesta favoris:
3 Ast odiis major merito mihi præstat alendi
Materiam æternis: hinc desolavimus arces
Montibus impositas, hinc devastavimus agros,
Quæque prius noti coluerunt læta coloni,
Colla tumens multo coluber tenet arva veneno.
4 Ergone tam diram sublato pectore vocem
Consiliis jam lapsa suis rupisset Idume,
Sit licet exilio tenuis fortuna, superbæ
Mole sua mersæ jaceant cum mœnibus urbes:
Stat reducem veteres tandem reparare ruinas,
Instaurare domos, lacerique cadavera regni:
Iova potens armis numerosoque agmine, gentem
Ora in Idumæam sic indignantia solvit.
Mœnia magna locent, & propugnacula bello,
Tam valido aërias cingant munimine turres,
Æquatas cœlo miretur ut advena moles:
Hæc tamen à multis peragetur fabula seclis:
En loca sola prius populis habitata profanis!
In scelus æternas en justi numinis iras!

V. His animi, veſtra his paſcentur lumina viſis,
Rura paterna, lares, & pinguia culta colentum,
Hæc quoque cantantum, quanto ſe robore Iovæ,
Quam ſe mirandis attollit gloria rebus!
VI. Pignora grata pios, qui ſe genuere, parentes,
Verna miniſteriis nutumque paratus herilem
Si reverenter habent, merito dignantur honore:
Sive ſalutatum patrem me in vota vocatis
Seu dominum, vobis noſtri quo pulſus honoris
Eſt amor? ulla mei mentes reverentia tangat,
Me toties dominum dedignataſque parentem?
Ille potens rerum vobis hæc voce profatur,
Qui cura aſsidua ſacras vigilatis ad aras,
Cum ſecura mei ſeries ſit, & impia vitæ,
Nominis ingratis ſordeſcat gloria noſtri,
Non pudet objectis commiſſa obtendere velis?
Crimina veſtra, Deo male reſponſando, negare?
VII. Cum ſtruitis domini vetitis altaria donis,
Idne pium eſt ritu cultum ſcelerare profano?
Numinis hos dubium eſt nomen temerare verendi
Quicunque impura dape, vel libamine menſam
Accumulant, epulis tanquam genialibus, alti
Numinis, & ſacræ ſunt hæc ludibria menſæ.
VIII. Non ſcelus admiſſum eſt, ſi victima luminis orba,
Cujus & ignavos languor gravis occupat artus,
Si vitio turpi, ſi fixo vulnere clauda,
Ante meas aras veſtra cadat hoſtia dextra?
Talia jura tibi danti ſi miſſa ferantur
Munera, num placido te, vel donaria vultu
Reſpiciat, ferrique ſuum fateatur honorem?
IX. Nunc age pollutis, polluto pectore, ſacris,
Accenſum vitiis, nobis populoque Deorum
Conciliate Deum, memori ne vindicet ira
Crimina, ne gentem renuat vel dona ferentem.
X. Non apud ingratos animos teſtata reliqui

Plurima

Plurima dona? quibus noſtra indulgentia captos
Mente beat, gratis num limina ſancta ferantur
Noſtra? vel impoſitis ardent altaria fibris?
Delitiæ quondam Domini, nunc nulla voluptas
Cura, laborve mihi, gens effrænata, nefanda
Perfidia dextram violans, ſecura futuri
Supplicii, tua vota, mihi tua munera ſordent.
XI. Nam quibus eſt orbis radiis tepefactus Eois,
Et quibus occiduas Phœbus face purpurat undas,
His fuerit nomen Iovæ, & venerabile numen
Gloria ſola, decus, columen, ſpes una ſalutis,
Omnibus ara locis ſacratis ignibus halans
Iovæ erit, & paſsim gentes donaria templis
Pura ferent, puriſque colent pia numina votis:
Namque erit his magnum Iovæ, & venerabile nomen.
XII. Ah ſcelus indignum, male grato eſt pectore vobis
Majeſtas temerata *Dei*, nomenque verendi:
Debita dum ſacræ non dantur fercula menſæ,
Victima nec ſanctis fertur lectiſsima fanis.
XIII. Illita religio fuco eſt, ſpecieque decora,
Hoſtia, cui macie pellucent oſſa ſuprema,
Cùm datur, ad flatum, flatum torquente labello,
Quæ ruat, & pluma levior, folioque caduco:
Vos tamen haud pudet hæc viliſsima dona ferentes
Dicere, laſſa gemunt tanto ſub pondere membra,
Ecce ſuo Dominum cultu & dignamur honore:
Cùm vitulus, cujus languent in corpore vires
Raptus ab invito, vel adacto vulnere claudus
Aut oculis captus, votivo ſanguine tingit,
Sanguine funeſto fumantem polluit aram:
Iova potens armis rigido ſic torva reſolvit
Ora ſono, immundæ placeant mihi munera dextræ?
XIV. Illius infandi capitis maledictio ſenſim
Dura per oſſa fluens perrumpit viſcera, fraudem
Ille ſuo capiti ſuit, & creat improbus ille,

Qui sibi cum puri balent in ovilibus agni,
Et placidum sine labe pecus, prætendere nubem
Fraudibus haud dubitat, vocis dum cuncta tuentis
Autumat impuris superari numinis iram.
Ille ego cùm belli sim, pacis ut arbiter unus
Terrarum cœlique sator, turgentia fastu
Imperio cùm regna premam, meterque tyrannis,
Iova ait,& magnus mundi,& regnator olympi,
Nominis ingentis timor, & reverentia nobis
Debita constabit gentes diffusa per omnes,
Claraque per cunctas splendescet gloria terras.

Cap. 2.

VOs genus Aronis, genitique è semine Levi,
Sincera ut maneant in religione nepotes,
Vt domino puri à populo celebrentur honores,
Convenit ante alios ritus vitare profanos,
Moreque sacrorum mandato,& lege teneri.
II. Sin sedet hoc animo divina resolvere jura
Nec dociles capiunt sensus mea verba, nec aures,
Nec studium nostræ laudis,curamve quietos
Securosque mei juvat alta mente reponi:
Iova potens armis rigidis ita sancta recludit
Ora minis, premet incautam maledictio turbam,
Et bene cui dixi facilis, beneque ante cupivi,
Plena iræ in gentem verba execrantia fundam,
Verbaque nostra fides, maledictaque damna sequentur.
Nunc bene de populo,male nunc meruisse videbor
Dedignante animis infigere fœdera legis.
III. Indeque sulcatis Cerealia semina campis
Obruta, spem longam miseri vitiare coloni
Stat, simul ora fimo votivæ sparsa juvencæ
Impia fœdare, & turpi confusa rubore
Tingere, corporibus vitæ jam lumine cassis

Co

Ceu pingui saturare solum lætamine campi,
Membráque mista fimo nigro squalentia tabo
Rusticus abripiet, lætos dum stercorat agros:
Tot facies scelerum manet hæc infamia merces.
IV. Vos lateat quænam tabulis signentur ahenis?
Quæ dederim mandata? tribus diffusa per omnes
Sola ut gens sancto demissa à sanguine Levi,
Sanguine votivo sacratas imbuat aras:
Sola mihi gratos accendat thuris honores.
V. Huic etiam servata fides promissa, nec ulla
Arguit immemorem percussi fœderis hora,
Fœdera servantem, & dominum reverenter habentem.
Quanta beaverunt longævæ commoda vitæ!
Iure quot auxerunt lætis successibus alma
Ocia tranquillæ pacis mea jussa sequentem!
At contra immemorem, solventem fœdera pacti
Cladibus afflixi, pœnis, duróque labore
Perdomui numero exiguam sine nomine gentem.
VI. Hæc domus Aronis, sobolésque è semine Levi
Cum data tractaret divinæ oracula mentis
Illibata, animis reserata fidelibus, ipsum
Nec populum errantem mendaci voce fefellit,
Cùm scelerum immunem mentémque manúmque gerebat,
Nec sibi fucato placavit numina cultu,
Errorem revocans sanctæ ad compendia vitæ,
Pace fruebatur, pacis bona plurima carpens.
VII. Sic erat ut vigili cui sunt altaria curæ
Sancta sacerdotis divini oracula verbi
Ora tuebantur, volventia dogmata legum
Atque iter ignaris veræ pandentia vitæ.
Numinis interpres cum sit qui numina sentit,
Quid dominus struat ad populum perferre tenetur.
VIII. At vos immemores recto de tramite gressus
Aversos flexisse juvat, commenta cerebri
Traderéque humani, vestro pars maxima gentis

Exemplo

Exemplo titubatque, offenso in fœdera passu,
Iova ait, & pacti legumque oblita mearum.
IX. Per vos spreta jacet divini gloria cultus
Iussas ire vias Domino monstrante negantes,
Omnibus hinc nostro cùm numine nomina sordent
Vestra, insultantum hinc miseris ludibria manant,
Quòd mea sublato calcantur fœdera vultu,
Et tumido injustæ funduntur ab ore querelæ.
X Perfidiæne rei, veterumque statuta parentum
Sancta abrumpentes fraterni vincula pacti
Solvimus, externo quando indulgemus amori
Conjugii? humanæ nonne una est stirpis origo
Primus in orbe parens? primi pater, orbis ut unus
Conditor, ac sobolis demissæ à sanguine primi?
XI. Siccine præclara infandam prætexere culpam
Non pudet Isacidas specie, Solymæque colonos?
Et sibi præscriptas legum transcendere metas?
Sacra profanantes vetitis connubia tedis,
(Chara piis animis) sociatos fœdere lecti,
Conjugibus, quæ sculpta colunt ludibria trunci.
XII. Talia patrantem velut immedicabile vulnus
Iova manu valida sancta de gente recidet,
Ne mala per totam serpant contagia turbam,
Neve hic processu possit crudescere morbus
Artifices sceleris tanti, scelerisque ministros
Exitio dabit, ut cumulent altaria donis.
XIII. Huic etiam poterant succumbere perfida culpæ
Pectora, legittimi sacrata resolvere lecti
Iura? nefanda tibi num sit pro conjuge pellex?
O scelus indignum, thalamos tedasque jugales
Prodere! non conjunx lachrymis conclamat obortis?
Hinc fletu, & querulis aras ululatibus implet,
Hinc ingrata cadit mihi victima, munera sordent.
XIV. Num dubij hærerent animi cur hostia nulla
Grata cadat sacras domini indignantis ad aras:

Cum

Cùm servata fides non sit promissa priori
Connubio, calidæ primævo in flore juventæ,
Quæ testante Deo sociæ thalami data, eodem
Vindice falletur, qui sancti est fœderis author.
XV. Fœmina nonne viro primùm una est condita primo?
Conjugione duos hominem ceu fecerat unum
Spirituum genus omne pater, qui condidit unus?
Hinc thalami ut veniant legittima pignora casti,
Progeniémque Dei semen cœleste propaget.
Ni sedet hoc animis fixum immotúmque furenti
Objectare animas æterni judicis iræ,
Sit temerare nefas genialis fœdera lecti,
In quæ venistis crudæ sub flore juventæ.
XVI. Cúmque invisa Deo fidei perjuria constent
Legis inumbrata obtentu, ac dimissio charæ
Conjugis, & spreti divini injuria pacti,
Sit procul à vobis thalamos violare jugales,
Dedere tartareíque animas horroribus orci.
XVII. Irritant dominum stolidæ convitia linguæ,
Quæritis unde tamen? manant hinc numinis iræ,
Cùm juvet insanis tantùm indulgere querelis,
Vt sceleris fontemque boni, vitæque perennem
Iudicio condemnatum insimuletis iniquo.
Pectora num domino pravi studiosa probantur?
Cùm vitiis dant fræna suis, lætáque fruuntur
Sorte tamen, tristísque pios fortuna remordet:
Nec Deus hîc æqui, aut rerum moderatur habenas;
Læditur his numen verbis petulanter amaris.

Cap. 3.

NVncius ecce feret mundi mandata parentis
Imperio summi parens anteambulo regis,
Venturo sternénsque viam dabit æquor apertum,
Insisténsque sui regnator limina templi

Accelerabit iter, tota quem mente petistis
Scilicet, æterni firmator fœderis, ecce
Iova ait, ingressu necopino oppresserit hostes.
II. Illius adventu metuendo exterrita tellus
Intremet, aspectu horrendo se subtrahet omnis
Impietas, pulchro pietas perfusaque fuco
Ausa suos fuerit coram sustollere vultus?
Ac veluti fulvum quod fusile fecerat aurum
Argentumque ignis recoquens à fece repurgat,
Smegmata candentem ut reddunt fullonia vestem:
III Ille salutifero sic sanguine pignora Levi
Labe repurgabit, maculas & crimina lapsus
Abluet electæ gentis, quo victima sacras
Grata cadens tandem devota litetur ad aras:
IV. Quò Dominum capiant mundæ donaria dextræ,
Huncque juvet Solymæ, Iudæque oblata juvenca,
Ceu placuit veterum mactata ex more parentum.
V. Ecce etiam grave judicium scelerata subibit
Turba sub adventum flammati judicis, ecce
Testis ero magicas tentatas sæpius artes,
Turpis adulterii pollutáque corpora labe,
Nec revocata semel falsæ perjuria linguæ,
Fraudatos pacta famulos mercede laborum,
Quæ viduos lugent thalamos, orbata parentum
Pignora præsidiis, peregrinas quærere terras
Quos mala sors, domini vel mens studiosa colendi
Impulit, hos veriti non sunt violare scelesti,
Queîs fera mens, nostri queîs pectus inane timoris:
Talibus ora modis Iova indignantia solvit.
VI. Ipse mihi æternum similis cùm lauder in ævum,
Temporis haud vicibus, rerumque obnoxius ullis,
Cùm stabilis maneam, dem cætera cuncta moveri,
Pollicitique fides tabulis signetur ahenis,
Hinc Iacobææ firmantur pignora stirpis,
Hinc penitus non sunt odiis excisa profanis,

Vos

VII. Vos licet immemores veterum de more parentum
Sancta profanantes divinæ fœdera legis
Solveritis, vestros indigna, nefanda patrantum,
Nec mea sollicitent animos mandata quietos:
Huc revocate tamen gressum, ne devius error
Longius excedat recta regione viarum.
Vos quoque respiciam vultu placatus amico,
Accipiens animum in flentes commissa benignum:
Nil peccasse tamen, male nil meruisse scelestos
Dicere nil pudeat? falsa qui crimina voce
Impia prætexunt, sceleris mea numina damnant.
VIII. Ulla hunc gens cuiquam permisit barbara morem?
Quem sibi quæque Deum coluit pro numine vero,
Fanáque sacra Deo turpi spoliare rapina?
At bona nostra animis multi prædantur avaris,
Quæritis unde tamen? votivo ut munere multi
Numina, sic decimis fraudant altaria nostris.
IX. Scilicet ex multis gentem perdiscimus omnem
Sacrilegam: Nam quæ mihi non indebita posco,
Munera cum decimis manibus raptantur iniquis,
Hinc dira in totam serpit maledictio turbam.
X. Errabunda igitur retrò vestigia vertant
Instabiles animi, scelerati injuria furti
Absit, & impositum decumarum pendite læti
Vectigal sine fraude, meis alimenta ministris,
Atria queîs curæ, sacrique altaria templi:
Hinc dabitur largæ specimen, vos sumite, dextræ,
Jova ait, hinc gravidæ nubes solventur in imbres,
Claustra revulsa dabunt cœli lato ore fenestras,
Unde fluet lætos semen genitale per agros,
Unde pluet gratis pleno bona copia cornu:
Et vestra immensæ rumpent granaria messes.
X*I*. Nulla tuis insecta satis, cœlive ruina
Obsuerit, nec bruchus edax, nec grandinis imber
Officient gravidi lætis proventibus agri,

Cultâque parebunt avido vineta colono :
XII. Felicémque feret lectam gens cætera gentem,
Quam beat innumeris cœli indulgentia donis:
Vbertatis erit voti ut menſura colonis
Omnibus, hæc dominus quam dat tibi terra colendam.
XIII. Cùm mihi blaſphema fiant convitia lingua
Obfirmato animo, pudeat commiſſa fateri ?
Et qua voce meum lædatur quærere nomen ?
XIV. In me funduntur fœda hæc opprobria, pura
Nequicquam colimus rerum pietate parentem,
Et fruſtra immunem ſcelerum mentémque manúmque,
Sanctaqne divini ſervamus fœdera pacti,
Fruſtra ante ora *D*ei metus & dolor anxius urunt.
XV. Tum quibus infræni turgeſcunt pectora motu,
Quando his perpetuum ſervet ſors blanda tenorem
Lætitiæ luxuſque, licet memorare beatos.
Quæque ſcelus ſtudio gaudet committere pravo
Improbitas ſine more ruens, ſine lege, caducæ
Omnibus aucta bonis vitæ, decoratur honore,
Quíque Dei vires malefida mente rebelles
Explorant, dextræque petunt documenta potentis,
Mollia ſecuræ traducunt otia vitæ.
XVI. Aſt quibus eſt Iovæ timor, & reverentia curæ,
Sæpius hæc memorant, & grata mente volutant.
Scilicet hæc ſtolidæ dominus convitia linguæ
Sedulus obſervat, maneant ut mente repoſta,
Quæ toties ſacras ejus funduntur in aures:
Quæ mala cúnque ferunt cœleſti ſemine creta
Pignora, quæ bene cunque gerunt metuentia Iovæ
Pectora, ſcripta Dei dextra monumenta reſervant.
Excubat his numen, quibus eſt in honore, verenda
Quique pia aſsiduè volvunt oracula mente.
XVII. Horum cura mihi fuerit, quanta eſſe peculi
Debet, ubi gregis agnorum mihi cenſus habetur,
Tum mihi pro grege, tum fuerint pro divite gaza,

Et

Et pro privata patrimoni in secula sorte,
Iova ait,& patria solventur crimine cura,
Ceu patris indulget placitis clementia natis.
XVIII. Si redeunt, jussamque viam non ire recusant,
Quos prius abduxit rectá malè credulus error,
Cernere erit,quanto injustis discrimine justi
Distiterint, pietas simul impietatis amanti.

Cap. 4.

ECce repente aderunt decurso tempora circlo,
Cùm calidis ceu flamma furens fornacibus, æstus
Flagrabit rapidæ stimulis non mollibus iræ:
At velut in stipulis sævit crepitantibus ignis,
Ipsa nec ante suas ponunt incendia vires,
Quàm cuncta in cinerem & fumum vertantur inanem,
Sit quibus inflantur ventoso pectora fastu,
Turpibus at scelerum maculis imbuta novorum
Improbitas æternæ in flammas corruet iræ,
Et patulos passim ramos à stirpe recisos
Falce premet dominus,penitus radice revulsa,
Cùm tremet è vultu ipsius conterrita tellus,
II At quibus est sancti reverentia numinis, horum
Mentb:us afflulgens dominus,lux aurea mundi
Iustitiæque jubar,radiis pia pectora puris
Perfundens, cœcas scelerum splendore tenebras
Discutiens, animas lethali vulnere læsas
Purgabit, blandáque alarum proteget umbra,
Sanctáque crudescent renovatæ robora mentis
Processu,ut vitulis distendunt pubula nervos:
III. Quemque diem magnæ jamolim diximus iræ,
Hoc dabitur pressos pedibus calcare profanos,
Ceu teritur triviis pulvis deformiter atris,
Iova potens ductor numerosi hæc agminis inquit.
IV. Hæc mentem interea subeant,animísque reposta
Permaneant, Moses studio curáque fideli
Quæ tulerat servanda sacris præscripta tabellis,

Cui

Cui populo portanda meo mandata dabantur,
Iuráque quæ ſtatui Sinæo in monte ſequenda.
Sollicita noctesque diésque revolvite cura.
V. Nam prius Elias æterni anteambulo regis
Mittetur, cui ſternat iter, det & æquor apertum,
Quàm promiſſa dies Iovæ eſt ventura, piorum
Expectata animis, multum metuenda profanis,
VI. Qui ſolido fidei vinclo, qui pace beata
Vinciat unanmeis, & dulcia pignora patres:
Ne mea, ſi non ſit miſeræ ſibi conſcia ſortis
Turba ſuæ, ſecura mei ſit, & impia, tandem
Sæviat in totam mota indignatio gentem.





PARAPHRASIS,

4. 5. & 11. Capitum Prophetiæ IESCHAHIÆ:



Paraphrasis Poëtica Ieschahiæ.

CAP. IV.

Ast ubi confecto fatalia tempora circlo
Volventur, natum germana ex gente perempta
Mille malis, veniet felici sidere germen,
Illius auspicio cineres atque ossa Sionis
Cladibus exhaustæ, tollet super ætheris axem
Gloria, laus immensa, pii splendorque decoris.

II. Quisquis enim è tanta superabit clade piorum,
Seque feret Solymæ civem sanctæque Sionis,
Gens augusta mihi gens justa vocabitur, illi
Vita fluet puro vitæ de fonte perennis.

III. Sic erit, ut scelerum sordes, turpíque madentes
Abluerit dominus Solymæas sanguine dextras,
Sustuleritque malum invisum sibi cognitor ultro
Spiritus è medio, & chara sit gente piata
Insinuet sese flammanti in corda vigore.

IV. Tendet in adversos hostes fervore furentes,
Teque super sedésque tuas, super alta Sionis
Culmina, concilium populi sua brachia pandet,
Perque diem nubes, per cæcas pila tenebras
Flammea, dona poli, & summi decora alta parentis,
Afferet excretam cœlesti semine gentem.

V. Æternæque supervolitans vis provida mentis
Leniter alarum tectum tutabitur umbra,
Splendida Phœbææ ne spicula lampadis urant
Luce cutem, damnumve datum tentoria tangat.
Perfugio hoc uno certam latebrísque salutem
Quæsieris, dum sæva tonat fortuna. malorum
Dum capiti ingruerit flumen, cælique ruina.

PARA

Paraphrasis poëtica Ieschahiæ

Cap. II.

Virgula truncati post mœsta cadavera regni,
Stirpe sua tenui veniet Iessæa propago,
Surculus hic sancto subiens è semine patrum,
Clara per immensum diffundet brachia mundum.
II. Hunc super incumbet patris spirabile numen,
Absque modo & numero patriis virtutibus augens,
Scire docens tum recta sequi, tum lumine veri
Accendens animum, solerti indagine rerum
Cunctarum instituens,& pectora nescia falli,
Vt meritis vastum divinis impleat orbem:
Illius auspicio sanum de rebus habebit
Consilium, nec inanis erit sine viribus ausus,
Notitiæque Dei accedet reverentia patris.
III.Siqua ulli pietas animo,quæ curet amicum
Numen habere,aciéque repente,& nare sagaci
Sentiet halantes notæ pietatis odores:
Intima cernentis taciti penetralia sensus
Iudicis externæ capiant ludibria larvæ
Corda? nec arbitrium aspectus aurisve secuti.
IV. Pauperibus sua jura suis, animique modestis
Munifici mitis dabit indulgentia Regis:
Corripiet sontes minuens clementior iras,
Regalique orbem subiget moderamine sceptri:
At simul impietas reprobo pereunte peribit.
V. Hunc circum sincera fides comes addita dictis,
Iustitiæ claros decorabunt baltea lumbos:
VI. Vnde lupus pecori prius insidiatus ovillo

Vtetur gregibus posita feritate tenellis:
Tutáque non metuent hœdi consortia pardi,
Et catulum vitulus depulsus lacte leonis
Impavidè audebit noto sociare cubili,
Et fera sub tenero, & cicura armenta puello
Pinguia depositis tondebunt pascua bellis.
VII. Vrsaque cum vacca placidè per pabula campi
Pascentur, catuli lustro condentur eodem,
Cum bove pacatis erransque leunculus arvis
Amplius infandas non vertet in antra rapinas.
VIII. Nulláque lethali pestis medicata veneno
Aspis, & effossis prorepens cruda latebris
Vipera, fingentem mollis certamina ludi
Læserit infantem depulsum lacte puellum.
IX. Tum genus indomitum sylvestria corda ferarum
Ponet, & electam divino numine gentem
Securam statuet dominus super alta Sionis
Culmina, cum cœli mitis clementia terram
Cognitione sui, & veri splendore fovebit,
Quanta mole fluunt spumantes æquoris undæ.
X. Tum quoque Iessæo ductor de semine cretus,
Signifer ipse sui populi, sub signa vocabit
Quas videt Occasus gentes, quas Eurus, & Arctos,
Quique die medio populi torrentur ab axe:
Huc genus humanum cunctis de finibus orbis
Confluet, & sacro Domini pendebit ab ore,
Hoste triumphato, & posito certamine belli,
Quàm se pacatis attollet gloria rebus!
XI, Vt populo quondam Pharii juga dura Tyranni
Dempta manu valida fuerant, stat denuo dextram
Tendere præstantem bellis & robore dextram,
Relliquias legat ut sparsas, lectósque reducat
Abramidas, Arabum, Memphísque immitis, atrocis
Assyris, Æthiopum, Lybicæ, cum Sinare, gentis
Relliquias tenues, Chamathæque & Persidis atræ,

Quæque colunt vitrei ſpumantia littora ponti:
XII. Claráque ſublati ad gentes præconia ſignî
Perferat, ut pulſos revocet, ſparſóſque reducat
Non ementitos ſancta de gente nepotes,
Vltima quà ſeſe pandunt confinia terræ,
Sub Phœbo quacunque jacent, vel cardine cœli.
XIII. Non lacera gaudens ibit diſcordia palla,
Non odiis Iudæ Ephræmo feret arma quieto,
Hoſte quòd extincto,& bello,ſocialia pangent,
Et firmata colent æternæ fœdera pacis.
XIV. Iura Paleſtinæ dicent famularia terræ,
Hiſque Moab famulas dextras,his tendet Idume,
Subque ſuas mittent Ammonia mœnia leges.
XV. Arva iterum exundent ſanctæ Neptunia genti
Obvia, cæruleóſque ſinus & flumina pandant
Palmifer Euphrates,Nili ſeptemplicis undæ:
Quod modo pontus , erit ſitientis campus arenæ,
Aſpicient ſola vaſta ſali cumulanda rubentis,
Fluminaque, abſtruſas vento turbante lacunas,
Iovam indignanti ſimilem,ſimilemque minanti
Sublatas agitare manus, librata ferentes
Vulnera,divulſis maris & fluvialibus nudis,
Ducentémque ſuas tranquilla per æquora turmas
Per vada ſicca ſali greſſas, ceu ſtrata viarum.
XVI. Namque opifex rerum ſtagnantes aggeret undas,
Victor ab auroræ populis captiva reducens
Agmina, ceu patrias quando remeavit ad oras
Iuda olim Pharii domita feritate Tyranni.

FINIS.